Quelle: https://manuscripta.at/?ID=236
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



84

pullis coruorum inuocantibus eum. Non in fortitudine equi uoluntatem habebit. neq; in tibijs uiri beneplacitum erit ei.
Beneplacitum est domino timentes eum. et in eis qui sperant super misericordia eius.
Deo nro iocunda sit laudatio. Benedixit.
Lauda ierusalem dominum. lauda deum tuum sion. Quoniam confortauit seras portarum tuarum. benedixit filijs tuis in te.
Qui posuit fines tuos pacem. et adipe frumenti satiat te. Qui emittit eloquium suum terre uelociter currit sermo eius.
Qui dat niuem sicut lanam. nebulam sicut cinerem spargit. Mittit crystallum suam sicut buccellas. ante faciem frigoris eius quis sustinebit.
Emittet uerbum suum et liquefaciet ea. flabit spiritus eius et fluent aque. Qui annuntiat uerbum suum iacob. iustitias et iudicia sua israhel. Non fecit taliter omni nacioni. et iudicia sua non manifestauit eis. Benedixit filijs tuis in te.
Laudate dominum de celis. laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes angeli eius. laudate eum omnes uirtutes eius. Laudate eum sol et luna. laudate eum stelle et lumen.
Laudate eum celi celorum. et aque que super celos sunt laudent nomen domini. Quia ipse dixit et facta sunt. ipse mandauit et creata sunt. Statuit ea in seculum et in seculum seculi. preceptum posuit et non preteribit.
Laudate dominum de terra. dracones et omnes abyssi.
Ignis. grando. nix. glacies